



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Fortunatus Ep. 14. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

Facilè orco imperat, quisquis peccato non servit. Inter testes longè plurimos etiam FORTUNATUM numero Tuderinum Episcopum, qui totas legiones dæmonum ex hominibus non semel unus fugavit. Sed nocuit pænè fugiendo orci satelles. Nempe pulsus sub noctem urbem obambulat hominis vultum mentitus, rem indignam clamat factam ab Episcopo FORTUNATO; peregrinum se hospitio ab eo ejectum, cuius minus esset etiam invitare verecundantem, quam nunc virtutem habitare sub tecto Pontificis cives crederent, unde hospitalitas exularet? Audiit hæc nescio quis, & non tam misericordiâ motus quàm invidiâ, quam facere FORTUNATO volebat, domo excipit, cæli scilicet exulem. Sed malus hospes non minus malam symbolam reliquit, abiensque hospitis filio in ignes coniecto animam elisit. Tum denique infidam hospitalitatis tesseram pater damnavit. Sed quàm cordi *Fortunato* juvenus fuerit, audi. Gothus prædam agebat nobilem, adolescentem geminos. Pontifex cum nec precibus hos nec pretio redimere posset, malum vaticinatus est militi, quod illi equus dedit, cum lapsus coxam sessoris fregit. Hoc malo multatus Gothus ultrò

14. Octob. VITÆ SANCTORUM. 649
ultrò jam *Fortunato* pueros remisit; sed
non gratis. Nam remisit Pont. sanita-
tem, ingens ægro pretium. *Ex D. Gre-*
gorii Dialogis.

Adverte, quæso, si mundum diligis,
si in illo conversaris, in quanto discrimine
vivas. quocunque te vertes, concupiscentia
ignem accensum invenies: quem si copulari
permiseris tuo, uret te, & in favillam
rediget. Fuge igitur ad montana cum Loth,
& salvaberis. S. Laur. Iust. de Cont.
mund. c. 19.

S. DOMINICUS LORICATUS C.

14. Octobris.

Audite, qui aras, calices, infulas vel
venditis, vel emitis. **DOMINICUS**
à primis annis aris & ipse admotus, tan-
dem sacerdotio initiatus est. Verùm
quòd eos honores nescio quo dono (pel-
lis credo caprina erat) parens filio mer-
catus esset, detestatus hic impia mune-
ra, adeoque jam se etiam, longè fugere
statuit partas malè dignitates, & pater-
num facinus in se vindicare. Ad hoc
commodissima visa est solitudo, & in
hac virorum societas, qui austeram cum-
primis rationem vivendi sequebantur.
Nempe his unum totâ ferè vitâ jejunium,
deliciæ die Solis Iovisque pultes, cibus
per reliquam hebdomadem solus panis e-
rat. Nam de potu quid dicam? aquam la-
cry-

S f 3

cry-